

053

051

057

047

062

042

102

002

152

Ende

Anfang

est sibi, compendiose gladio turcorum mortem subire, quam in suo monasterio multis mortibus senescere. Et multa alia dixit, ut posset dominos avertere, ne me audirent. Quae omnia fuerunt mihi relata. Postea eundem militem vice versa confortavi, ita quod non potuit persuaderi ad redeundum. Retinuit autem nos capitaneus VIII. diebus in Corcyra et omni die terribilia nobis proposuit, sed nos theutonici omnes absolute concordavimus, nolle redire, sed in nomine Domini Jerosolymam pergere. Videns autem (B) Capitaneus nos obstinatos in nostro proposito se amplius non intromisit de nostra peregrinatione, et ita disposuimus nos ad recessum, introferentes in galēam ea, quae emeramus. Et cum omnes navigare volentes essent iam in galēa, et cum gaudio colloquium haberemus, juxta malum supra stantes, unus de prudentioribus petivit silentium fieri. Quo facto dixit: Ecce domini et fratres mei peregrini, rem grandem, difficilem, et arduam aggredimur, peregrinando per mare. Et dico vobis pro certo, quod humanitus loquendo stulte facimus tanto periculo nos exponendo, contra domini capitanei maris et omnium aliorum consilium et persuasiones. Idcirco domini episcopi et confratres nostri nobiliores, potentiores, digniores, et forte prudentiores resignaverunt, et ad propria redire contendunt, sequentes consilia; nos vero in contrarium conamur. Ut ergo conatus noster non sit stulta et vitiosa audacia, necesse erit, ut vitam nostram in galēa reformemus, et crebrius fortissimum Dominum et sanctos ejus invocemus pro coelesti auxilio, ut cuneos inimicorum Christi et classes eorum penetrare valeamus. His dictis communi sententia decrevimus, ut nullus amplius ludus cum taxillis, aut cum chartis in galēa fieret, nec litigia, juramenta et blasphemiae (perpetrarentur), et quod clerici et sacerdotes ad consueta officia singulis diebus litanias adderent. In praedictis enim, ante illam ordinationem, multae exorbitationes fiebant; nam continuo mane, vespere, et meridie ludebant, praeципue episcopus Gebenensis cum suis, et cum hoc pessime jurabant, et quotidie contendebant, Franci enim et nostri theutonici erant in continuo certamine. Unde quidam de famulis domini Gebenensis percussit quendam devotum sacerdotem de nostris, et incidit in excommunicationem. Sunt enim Franci

